Evangelium infantiae vel Liber apogryphus de Infantia Servatoris

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

PRius quam te ad legendum accingas, Lector benevole, paucis te volo; ut quidnam hoc libelli ſit, & unde ſubito compareat, ne ignores. Quamvis dira Deus in verbo ſuo interminatus fuerat illis, qui Canoni ſacro adjecturi quidquam eſſent aut detracturi; nihilominus primis jam Chriſtianiſmi ſeculis, adeoque in ipſis Eccleſiæ incunabulis, tanta pſeudepigraphorum & hypobolimæorum librorum ſeges provenit, ut canonicos & genuinos numero longe ſuperarent. Bene aliquando dixit Scaliger: Putaverunt veteres ſe poſſe regnum Dei provehere mendaciis & falſis miraculis, in quo graviter errarunt. *quippe illis artibus & viis Eccleſiam Chriſti lacerarunt & deſtruxerunt. Spurios illos fœtus magnam partem recenſet, ac tanquam Apocryphos damnat & rejicit Gelaſius Papa, in Concilio Romæ ſub finem ſe-*

ſeculi V habito: ubi iſtius quoque, quod jam tibi exhibemus, Pſeudoeuangelii, licet poſtea tractu temporis nonnihil fortaſſe interpolati, facit mentionem. Ipſa decreti verba accipe: Euangelium nomine Matthiæ apocryphum. Euangelium nomine Petri Apoſtoli apocryphum. Euangelium nomine Jacobi apocryphum. Euangelium nomine Barnabæ apocryphum. Euangelium nomine Thomæ, quo utuntur Manichæi, apocryphum. Euangelium nomine Bartholomæi Apoſtoli apocryphum. Euangelia, quæ falſavit Lucianus, apocrypha. *LIBER DE INFANTIA SALVATORIS APOCRYPHUS.* Euangelia, quæ falſavit Eſitius, apocrypha. Liber de nativitate Salvatoris, & de Maria & obſtetrice apocryphus. *Sed & aliis ante Gelaſium memoratur.* Irenæus (*cujus locum vide infra in notis pag.* 64. *&* 65.) *unam ex fabellis, quæ in eo reperiuntur, refert: quam tomo I. Panarii lib.* III. *in hæreſi Marcoſiorum repetit Epiphanius.* Chry-

ſoſtomus (*& ex eo* Theophylactus) *aliquot locis in infantilia iſta miracula graviter invehitur :* Epiphanio *vero, ubi de illis loquitur,* ἐν δοιῇ μάλα θυμός. (*vide in not. pag.* 39. *& ſeqq.*) Mohammedem *ejuſque aſſeclas apocryphum hoc Euangelium varie compilaſſe, e notis noſtris abunde patebit : nequaquam tamen inde conjicias, textum hunc Arabicum, qualis hic tibi exhibetur, ante Mohammedis tempora jam exſtitiſſe. neque enim ſtylus (ei, quo novum teſtamentum Arabice verſum & ab Erpenio editum habemus, haud multum diſſimilis) eam præ ſe ferre antiquitatem videtur. Fieri poteſt, ut ſive ex Græca, ſive ex Syriaca lingua, aut alia quacunque Orientalium, aliquot poſt ſeculis, in Arabicum idioma liber ſit translatus. Cæterum is, quo uſi ſumus, Codex eſt ex libris Clariſſimi Golii, publica nuper auctione Lugduni Batavorum divenditis : quo cum ad alia quædam comparanda me contuliſſem, hunc quoque librum negligere non potui, cum duo ejus loca, quæ in præfatione Alcorani allegaverat Hinkelmannus* ὁ μακαείτης,

le-

legissem. Et licet tunc Alcorano vertendo (quem propediem, si Deo placuerit, cum scholiis utriusque Gialaloddîni, *laudatissimorum interpretum, nostroque commentario in lucem edemus) acriter insudarem; inspecta tamen exigua libri hujus mole, commodius judicavi, ejus versionem, tanquam animi quandam relaxationem, tædioso & prolixo labori interponere, & hunc quasi futuri operis prodromum præmittere: quod eo lubentius feci, quia, præter Apocrypha alia innumera, & Judæorum Pandectas, ex hoc quoque libello aliquid veneni Mohammed delibavit. Quo anno exaratus sit codex noster, nequeo dicere, cum id librarius non adscripserit: suum vero Anno Christi* 1442. *in Oriente descriptum fuisse Hinkelmannus testatur. idem Euangelium istud confundit cum circumlato olim Evangelio Petri; sed hoc in Decreto Gelasii ab eodem distinguitur. Nihil vero notarum adjicere initio constituerum, quippe cum narrationes nugacissimæ nullo commentatore egere viderentur; sed postea animadvertens* ابو محمد عبد الله

الله الكساجي Abu-Mohammedem Abd-Allam, Keſſæi *nomine eruditis jam notum, auctorem hactenus non editum, (qui religione Mohammedanus vitas Patriarcharum & Prophetarum ex ſententia magiſtrorum ſuorum deſcripſit) partem earum fabularum, mutatis tamen circumſtantiis, excerpſiſſe ac pro veris venditaſſe, non potui non illas quoque ſeorſim exhibere, ut cum Pſeudo-euangeliſtæ noſtri verbis conferrentur, ſicque* κρῆς κρῆτα *mendax mendacem mutuo diſſidio convinceret & refutaret. Vale.*